

V C  
4094





36,2





36, 21.

SOTERIA  
EVANGELICORUM,

Vc  
4094

Hoc est,

MEMORIA

Admirandæ VICTORIÆ,

Gloriosissimo REGI Sveciæ,

&

Serenissimo ELECTORI Saxonix,

*Post acrem cum hostibus pugnam in Confinio LIPSIÆ commissam,*

*Pro Evangelicæ RELIGIONIS salute  
atque incremento*

coelitus donatæ,

Celebrata Anno MDCCXXI.

*Ab*

ACADEMIA LIPSIENSI,

*Interprete,*

HEINRICO HÖPFNERO, SS. Theol. Doct.  
& Professore publico.



*Prostat apud Hæred. Schürer. & Matthiam Götziium.*

*excusa per Gregorium Ritsch.*

ANNO MDCCXXII.





207  
207 ERIN  
EVANGELICORUM

Hoc est

MEMORIA  
Admirandae VICTORIAE  
Gloriosissimo REGI Sveciae  
&  
Serenissimo ELECTORI Saxoniae

Post recentem eorum hostibus pugnam in Campo L. L.

F. S. I. A. composita

Pro Collegio P. E. L. E. T. O. N. I. A. J. U. R. I. S.

in Lipsia

coactis donata

Gelehrten Anstalt  
ACADEMIA LIPSIAENSIS  
BIBLIOTHECA  
PONTIFICALIS

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

Prograt agunt Henr. Schöner & Martinus Götting.  
typog. Götting. 1741.  
A. n. o. c. l. s. c. x. l. i.







*Serenissimis ac Potentissimis Principibus  
& Dominis,*

Dn. GUSTAVO ADOLPHO,  
Svecorum, Gothorum, Vandalo-  
rumq; Regi, Magno Principi Finnoniæ,  
Duci Esthoniæ, Careliæq; , Domino  
Ingriæ, &c.

*ut &*

Dn. JOHANNI GEORGIO,  
Duci Saxonix, Julix, Clivix ac  
Montium; Sacri Romani Imperii Archi-  
marschallo & Electori, Landgravio  
Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Burggra-  
vio Magdeburgensi, Comiti de Marca  
& Ravenspurgo, Domino in Ra-  
venstein, &c.

*Dominis suis Clementissimis*

Gratiam & Benedictionem  
Regis Regum, & Domini Dominan-  
tium JESU CHRISTI.





*N* populo Dei semper hac vi-  
guit consuetudo, ut periculis,  
rapinis, & internecionibus  
hostium eluctati, omnipo-  
tentiam & bonitatem di-  
vinam digno aestimatio recole-  
rent.

Gen. 14.

Rom. 4. v. 13

*Antiquissimum est in  
omni historia Bellum, quod ex piorum cœtu primus  
gessit pater ille credentium & mundi hæres Abra-  
ham: ut merito idea laudabilis militia haberi de-  
beat. Inde namque videre est, quantum sit mo-  
menti possum in causa bonitate, ac legitimis prælio-  
rum auspiciis: quid possum Ducis Magnanimitas,  
Prudentia, felicitas: quid militum conducatur fides,  
obsequium & dexteritas: in primis autem quod  
eventus lætitiæ conveniat decens erga Deum gratia-  
rum actio, & in triumpho pietas.*

Gen. 14. v. 12

Ambrosius de  
offic.

Gen. 14. v. 5.

v. 2.

*sanctum virum zelus redimendi Lotum, fratris fi-  
lium, jam captivum, ac dira servituti destinatum;  
quæ utique summa erat armorum necessitas, & ut  
Ambrosius nominat, plena Justitia. Confligen-  
dum autem ipsi non cum aliquo vilitenni q̄, manipu-  
lo, sed hoste potentissimo, Cedorlahomer, Rege He-  
lam, id est, Persidos: cujus vires magis formidabi-  
les*





les reddebant subsidiarii, Amraphel, rex Sinear, id est, Chaldae; Arioch, rex Eliassar, hoc est, Helleponti, vel, ut alii malunt, Susanes superioris ad Assyriam pertinentis; & Thideal, rex gentium, quae scilicet ad Septentrionem habitabant. Nec tamen fortes hos exercitus pertimescit Patriarcha; sed jam cum pradâ digressos ferè quadraginta milliaribus insequitur. Milites præter Sociorum turmas assumit sibi genitos, trecentos & octodecim, hoc est, bonos potius, quàm multos, quòd manibus esset opus, non pluribus nominibus. Ideò textus Mosaicus eos nominat מִיְיָיִיִיִי initiatos, seu laboribus subactos & duratos, etiam ad pugnam exercitatos & cetera, quibus bellatorem expeditum condocet facit disciplina; ex cujus sinu omnes triumphi manarunt. Val. Max. l. 2. c. 7.

Cum his actuosâ celeritate cursum capeßit ad hostes, & quintâ, ut Josephus numerat, nocte eos offendit: Consilium ex tempore capit, quâ ratione omnes effugii viæ illis præcluderentur: Exercitum Gen. 14. v. 15. 16. in quatuor turmas dividit, & à totidem partibus invadit.

— — somno vinoq; sepultos. eoq; strategemate perterritos, ex animi sententiâ vincit, & pulveris ac stipulae instar profligat. Es. 48. v. 2. Deo promacho.

His ergò felicissimè expeditis, publicâ gratulatione, tanquam benedictus & fortunatus heros excipitur



Gen. 14. v. 18

Heb. 7. v. 4.

cipitur à Melchisedeco, letus agnoscit ipse divi-  
nam hostium in manus suas traditionem; ac Mel-  
chisedeco, eam solenniter celebranti, de primitiis,  
seu præcipuis partibus spoliiorum, decimas re-  
ligiosa gratitudinis ergò defert.

Tanti Patriarchæ Exemplum, ipsâ primævitæ  
te suâ venerabile, semper cordi habuerunt Bellato-  
res pii, ut potiti victoriis similiter epinicia DEO  
Exercituum consecrarent: Et sic Belli votivis ini-  
tiis responderent geminâ devotione terminalia.  
Nam idem se decere arbitratus est Moyses, fide-  
lissimus in domo DEI servus: Idem ejus in ducatu  
successor Josua. Ille toti populo hymnum spiritu fer-  
ventissimo præcinit, cum miraculosum hostis in mari  
rubro interitum conspicati essent, ut excelsâ manu  
DEI asserti agnoscant DOMINUM esse bellicosif-  
simum, sanctitate magnificum, invictâ poten-  
tiâ unicum. Postea verò deductos per desertum,  
pro defensione adversus hostiles machinationes, Et  
victoriis reportatis de Rege Cananæorum, Sio-  
ne, Amoræorum, Ogo Basonis Regibus, ac Midia-  
nitis, identidem hortatur ad obsequium divina Le-  
gis: Quod grati affectûs longè expressius est docu-  
mentum, quàm laus vocalis: Nam hac etiam  
cessante, DEI præconium semper continuare potest  
vita pietas. Suggesto (inquit Augustinus,) re-  
medium, unde totâ die laudes DEUM, si vis.  
Qvic-

Exod. 15. v.  
2, 6, 11.

Num. 21.  
Deut. 2. v. 33  
c. 3, 4.

Num. 31.

Deut. 6. 4. 5.  
38, 25. 10.

Aug. in 1<sup>o</sup> Pt.  
35. v. 28.



Quicquid egeris, benè age; & laudasti DEUM.  
Hic verò, post editam urbis Ai cladem & vastationem, DOMINO aram extraordinariam erigit, <sup>Iol. c. 8.</sup>  
oblatis in eà sacrificiis eucharisticis, & populo divinae  
Legis benedictiones & maledictiones proponit. In-  
super domitâ Cananaâ tabernaculum solenniter <sup>c. 18. c. 27.  
c. 24.</sup>  
constituit in Silo: & Israelitis, saepius officii sui mo-  
nitis, beneficia divina, & foederis cum DEO pacti  
observantiam perpetuam inculcat. David autem,  
vir secundum cor DEI, & Regum piorum illustre  
exemplar, quas vivido pectore non eructat laudes,  
cum beneficam DEI opem adversus hostes, passim  
in Psalmis extollit? In primis admiratur subitam, <sup>Psal. 40.</sup>  
instauracionem Israelitici regni, tot bellis & lanie-  
nis dissipati & enervati. Philistaei Saulem unâ  
cum filio eius, & florem populi, bello internecino de- <sup>1. Sam. ult.</sup>  
leverant: & à morte Saulis potenter in Judaeâ do-  
minabantur: Israëlitæ urbibus relictis in deserto  
confugiebant, & in rupibus ac petris latitabant.  
Has miseras excepit intestinum bellum, ut, regno  
in partes scisso, plerique sequerentur Abnerum, fi-  
lium Ner, qui Isbosethum, Saulis filium supersti- <sup>2. Sam. 2. v. 25  
usque 12.</sup>  
tem, in Regem creaverat: sola tribus Judaica Da-  
vidi adhereret. Sed istis malis universis David, in  
regale solium evectus, remedium attulit, effecitq; ut  
Respublica Israelitica non tantum Oves suam &  
pristinum splendorem reciperet, sed & hostibus op-  
pressis, fines diuionum suarum protenderet.

Ideo



Pf. 60 v 8.9  
10, 11.

Ideò sibi gaudet de illarum tribuum, quas Is-  
bofeth in potestate suâ habuerat, deditioe; muni-  
tissimarum urbium, ab hostibus possessarum, expu-  
gnatione, & Philistæis ac Moabitis tributariis.  
Tantasq; res, tam brevi tempore confectas, ultrò  
11, 14. profitetur humanæ opis haud fuisse, sed soli DEO  
imputat exclamans: Vana salus hominis; sed in  
DEO faciemus virtutem, & ipse conculca-  
bit hostes nostros. Maximè verò letatur in  
Pf. 18. Cygnæo illo Cantico, & proximè ante novissima  
verba condito, quo velut in fasciculum collegit libe-  
rationis ab hostibus universis experimenta univer-  
sa, eaq; tot verborum luminibus illustrata predicat  
admirabili magniloquentiâ. Assa deniq; ut  
plurimum commemoratione supersedeam, Rex Juda  
pientissimus, casis Æthiopibus, gratam erga Deum  
mentem non tantum maximo hostiarum numero  
contestatur, sed & luculenter adspiciam reddit fœ-  
dere icto cum subditis, de quærendo DOMINO  
DEO, ex toto corde totâq; animâ suâ. Si quis, in-  
2. Chron. 15  
v. 11, 12, 11, 14. quit, non quæsierit DOMINUM DEUM Israël,  
moriatur à summo ad minimum: sive vir, sive  
fœmina sit. O vocem Regiam! quæ & Augusto  
suo eventu non caruit: quia dedit eis DOMINUS  
requiem undiq; aq;.

Hujusmodi Soteria nos quoque DEO Serva-  
tori nostro debuimus, quos è faucibus hostium ere-  
ptos



ptos in tuto collocavit, cum omnibus vastitas, servi-  
tus, confusio, & corporis atque anima perniciēs in-  
tentaretur. Nemo, cui vel mica pietatis ine-  
rat, inficias ire potuit, DEUM pro nobis pugnasse,  
& tantorum malorum metu perterrefactos velut  
ab inferis revocasse. Testor ego lacrymas inco-  
larum, multis crudelitatis documentis extortas,  
quas fama victorie nuncia subito mutabat in gau-  
dium, an & gaudium in lacrymas dicam, leta-  
bundis erumpentes? Testor voces, gestus, animos,  
quibus super hoc mirabili exitu ubique triumphab-  
ant: **BENEDICTUS DOMINUS**  
DEUS in secula, qui spes hostium fecit ri-  
diculas!

Nostra quoque Universitas in publicā illā  
tamq̄ sonorā leticiā noluit in obscuro latitare, tan-  
tamq̄ rem ingrato silentio transmittere: Sed  
quamprimum Alumnos pristinos gremio suo re-  
cepit, actum panegyricum in Templo Acade-  
mico indixit, ut & suo studio hujus beneficii cele-  
britas extaret apud posteros. Convenerunt ma-  
ximā frequentia Cives Academici, iisq̄ se conjun-  
xit Urbicus Senatus; ac vocem simul & mentem  
coram DEO effuderunt, sancto cum horrore,  
stupenda hujus liberationis eminentiam adorantes.  
A me autem, cui partes dicendi erant commissa, to-  
tares



ta res gesta compendiō narrata est, ac demonstrata  
debitio nostra, quā perpetuū Divina clementia ob-  
ligati maneamus, ad memores laudes, iisq; conso-  
nam vitæ pietatem.

Nunc à Majestate & Serenitate Ve-  
stra, Inclytissimi Heroës, hoc mihi gratia detur,  
ut hanc orationem memorialem, solennesq; gratias,  
DEO Optimo Maximo nuncupatas, VOBIS  
venerabundā cum geniculatione exhibeam, ceu salu-  
taribus organis, per quæ DOMINATOR in  
Israel magnificum suæ Ecclesie patrociniū præ-  
stitit.

Nam ubi Regia Majestas Vestra cognovit,  
socios fidei Christianæ in acie novaculæ versari, reli-  
gioni sibi duxit, eos destituere: sed à longinquis Sve-  
ciæ finibus, impetu quodam, & verius instinctu  
heroico, venit, quò DEUS & congener virtus, ac  
piorum desiderium, immò presagium, jamdum in  
Animis eorum conceptum, vocarunt. Electo-  
rali autem Serenitati Vestræ legitimam ad arma  
sumenda præbuit occasionem ineluctabile telum ne-  
cessitatis, cum post tot offensas adverse partis, fortis  
stomacho concoctas, nullā Svadā, nullis precibus  
potuisset obtineri, ut bonā cum pace & gratiā desi-  
nerent attentata Ligistarum, inexplicabiles motus  
secum trahentia. Neque enim aliud restabat,  
quàm



quam ut Serenitas Vestra acciperet, quin & atrata  
peteret pacem vel incertam, ac potius belli aleam no-  
mine pacis involutam, vel cum tot mille animarum  
dispendio conjunctam, atque ideò coram tribunali  
JESU CHRISTI in censorio illo die prorsus inex-  
cusabilem. Sic virgulâ quasi divinâ & ultrò invi-  
tantibus fatis vibratus est gladius, è supernis pro  
Lege & pro Grege DEI concessus, & VICTO-  
RIA obtigit meliori cause, cui nunquam non ad-  
spirare solet divini favoris aura, quandocunq; mo-  
dus agendi illam se continet intra lineas, verbo DEI  
signatas. Tunc enim non abest, quin Reipubli-  
cæ navis licet decumanis agitata fluctibus, qua-  
si levato velo, ad caput Bona Spei provehatur, ac  
tandem in tutum portum deducatur.

Dum verò argumentum hoc DEI benigni-  
tas & Vestra Virtus orationi nostræ suppeditat, si-  
mul ansam præbet Vobis de gloriosâ VICTO-  
RIâ submississimè gratulandi.

Hæ enim, si futura spectentur, Majestatis Ve-  
stræ felices quasi primitiæ fuerunt, quibus meritò  
inducitur ad consummandum opus DOMINI,  
A 2 quod



quod ipsi D e u s in cor dedit. Consumman-  
dum, inquam, ubi plena subsequetur messis, & so-  
lida Pax Ecclesiae restituetur.

Sanè hac gloria soli D E O competit, quòd certò  
prænoscat futura, etiam contingentia, neque homi-  
num quisquam esse potest idoneus vas & sponsor  
certi eventus illorum: Si tamen imbecillitati  
nostræ integrum est, verum ex conjecturis præci-  
pere, causas, quæ ab initio Majestatem Vestram  
moverunt, ut Ecclesia DEI pressæ subsidio veniret,  
eandem porrò instigabunt, ut, reductis in ordinem,  
hostibus Evangelicorum, orbi Christiano amplius  
in hoc rerum cardine pandat amphitheatrum pii,  
justi, fortis, & felicitis Herois, quæle Monarchæ  
Augustissimi, Cyrus, Constantinus M. & Ca-  
rolus Magnus, post se reliquerunt.

Electoralis autem Serenitas Vestra, præ-  
ceteris omnibus Imperii principibus, geminum ha-  
bet honorem: unum, quòd in suis ditionibus Ev-  
angelica Lux, ministerio Beati Lutheri à Pontifi-  
cis tenebris vindicata, caput primitus extulerit, &  
in omnes, quæ ejus collustratione gaudent, ceteras  
terras effulserit: Alterum, quòd in vestro  
terri-



territorio de hostibus, Evangelica Religioni ex-  
terminium molientibus, prima sit obtenta Victoria;  
unde orta Evangelica Religionis securitas per to-  
tam Germaniam robur sui voti & fiduciam pau-  
latim recipiet. Ita confidimus, & si Vestra  
Sublimitas admittit, humilime ac potius lati  
ominis gratia, quam monitionis ergo, acclama-  
mus illud Prophetae Azaria: Nunc ergo con-  
firmamini, neque sint remissae manus vestrae;  
est enim merces operi vestro.

2. Chron. 15  
v. 7.

Nam quid impedit hac verba Vobis ac-  
commodare, ubi eadem, si non major, est neces-  
sitas Ecclesiae? Eadem Vobis fiducia in  
DEUM? Num enim, inquit Augustinus Aug. in' Ps.  
44. v. 6.  
Psalmo, ut ipse quidem cum LXX virali &  
Latino Interprete numerat, XLIII, aliter erat  
DEUS tunc, cum Israelitas adjuvaret, &  
aliter nunc? Absit! Quid enim in Psal-  
mo sequitur: Tu es ipse Rex meus: Tu es  
ipse: Non enim mutatus es: tempora  
mutata video, creator temporum non mu-  
tatur.

Atque hac Summa est habitae Orationis, &  
haec intentio, in se quidem nimis exilis ac paupertina

A 3

dictio-



diſtione minimo minus aſſurgentis ad meritorum  
Vestrorum Excelsitatem : Ea tamen digni-  
tatem lucrabitur ab argumenti maiestate, ac  
suffragium à publicà voce & confessione, quæ res à  
Vobis gestas ad originem recensas, jamdum grata  
intimat posteritati.

Itaque jam Regiam Maiestatem, & Ele-  
ctoralem Serenitatem Vestram, humilimè ob-  
secrare liceat, ut, veluti gratissima mundi lu-  
mina, sublimibus dignationis suæ radiis hoc mo-  
numentum Academicum collustrare, inq; ocu-  
los, & si vovere conceditur, in manus atque ani-  
mos admittere non graventur.

D E U S Zebaoth, clypeus & Asylum  
suorum, in Regiam Maiestatem, & Electora-  
lem Serenitatem Vestram, quæcunque possunt  
esse piorum Regum ac Principum vota, divite be-  
nedictione conferat, ut vitam prolixam, pro-  
sapiam vegetam, domum tutam, consilia pro-  
ficua, eventum gloriosum, Senatum florentem,  
Duces fortunatos, militem disciplina observan-  
tem, victorias plurimas, ac tandem in cælis immar-  
cessibilem gloria coronam obtineatis.

Ita



*Ita ex intimo cordis penetranti comprecor, vel  
potius veneranda Christianitatis continua pro  
Vobis ad DEUM vota & suspiria sequor  
atque exprimo. Scribebam Lipsia 15. Ja-  
nuarii, Anno c l o l o c x x x i i.*

Regiæ Majestatis  
& Vestræ  
Electoralis Serenitatis

*Omni devotione & fide  
subjectissimus*

Heinricus Höpffnerus, SS. Th. D.  
& Professor Publicus.

*Fidu-*



*Fiducia & Votum Ecclesia, ex  
Psalmo 44. v. 5.*

**T**U es ipse Rex meus, ô D E U S, qui mandas  
salutes (*omnigenam salutem*) Jacob.

v. 6. In Te (*per tuam opem*) inimicos nostros ven-  
tilabimus cornu (*fortiter percutiemus, ceu tauri  
suis cornibus adversa feriunt, eaq; hinc inde jaciunt  
ac dissipant*) & in nomine tuo (*fiduciâ nominis  
tui, quòdes justus, verax, misericors omnipotens.*)  
conculcabitur insurgentes in nos.

v. 7. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius  
meus non salvabit me,

v. 8. Salvâsti enim ab affligentibus nos, & ofores  
nostros confudisti,

v. 9. In D E O gloriabimur totâ die, & Nomen  
tuum laudabimus in æternum, Selah!

Ecclesiæ





Cclesiæ hostes pagina  
 sacra *duplici schemate* nobis  
 exhibet; *uno*, quod sibi ra-  
 tionis humanæ oculus ima-  
 ginatur: *altero* verò, quod  
 fides & spes, ad altiore[m]  
 collimantes potentiam, in-  
 tentis stricturis contuentur. Si enim ratio pe-  
 riculum faciat in consideranda vi adversariâ,  
 nil nisi leones ac serpentes præ se cernit, quos  
 robur, truculentia, & stragis avarus rictus in  
 iras animat ingentes, ut sibi populum Dei ad  
 prædam & quasi dentiludia obnoxium habere  
 videantur. Longè verò aliter fides & spes cal-  
 culum ponunt, quæ lynceis oculis in coelum  
 usque penetrant, & verbi divini collustratæ lu-  
 mine, despiciunt in futuræ sortis hostium vo-  
 raginem horribilem, quò tandem eos, omni-  
 bus consiliis devios ac præcipites, Dei vindicis  
 detrudit celsitudo. Quid agis *hostilitas*, dum  
 veritatem cœlestem vis extirpatam? *cum DEO*  
*tibi res est!* Dei pupillam tangis, qui assertores  
 Religionis veræ persequeris! Infla te, ut potes,  
 granditate tuâ; quantillum pollebunt omnis

B

tuæ



Pl. 18. v. 7.  
& scqq.

tuae potentiae conatus, *supremo DOMINO*  
*Exercituum* aduersi? Sunt *fracti* & *elisi dentes* in  
 ore leonum; *aqua* sunt *nivales*, & *pluvia*, quae  
 subitis agitatae fluctibus effunduntur, sed mox  
 à seipsis diffluunt & torrescunt: Sunt *missiles*  
*sagittae*, quae rptione nervi ante volatum ca-  
 ducae venatori expetitam feram non feriunt:  
 Sunt *limacis cornicula*, quibus viam praetentat  
 caecus, laedere verò neminem potest; sed iis vix  
 dum è sede sua exertis, repentino marcore col-  
 liquescit: Sunt *foetus abortivi*, qui spem vitae per-  
 fectionisq; ostenso tumore quasi praegnantis  
 uteri, de se praebent, sed mox ortu intempesti-  
 vo elapsi, lucem non vident: Sunt *spinae*, quae  
 ante, quam in thammum adolecant, exci-  
 duntur, ut ignis pabulum fiant.

Quòd si ad exempla ire velimus, non est  
 opus, ut à veteribus historiis ea mutuemur; do-  
 mi habemus, unde monumenta huiusmodi  
 condere, posterisq; statuere possumus, quae  
 vel maximè suppeditat hic annus *supra millesi-  
 mum, sexcentimum, trigesimus primus.*

Terrebat primò adspectu minutiam no-  
 stram hostis magnitudo & crudelitas; meri  
 leones, meræ aspides, rapinam virusq; spiran-  
 tes, in viscera nostra properare, totq; moribus,  
 tot ictibus, tot vulneribus, tot spiculis atque ex-  
 cidis,



cidiis, salutem publicam & innocentissimi cu-  
 jusque vitam petere videbantur. Verum hæc  
 spectra fuerunt, non viva hostium effigies,  
 quam fides spesq; piorum in antecessum repræ-  
 sentaverant, & tandem vivis coloribus even-  
 tus demonstravit. Augustum & dignum Deo,  
 per media contraria juvante, spectaculum! *Se-  
 renissimus Elector Saxonie, Dominus JOHAN-  
 NES GEORGIUS*, antehac bello supersedere  
 cupiens, rebus jam fractis, extemplò infractos  
 animos sumit: *Potentissimus Rex Svecie, Domi-  
 nus GUSTAVUS ADOLPHUS*, hætenus de-  
 spectui ab hoste habitus, suppetias *Electori* la-  
 turus, venit, videt, vincit: Ex spes & misellus  
 subditus, qui ad incitas jam redactus, vix hisce-  
 re posse putabatur, superest incola patriæ suæ,  
 ac profligatis hostibus, prædâ & victoriâ  
 fruitur,

*I Fama!* æternitati consecra, rem tam  
 optato eventu gestam, ut nobiscum Evangeli-  
 ci nominis posteritas tantam auxilii divini sub-  
 limitatem continuè pronis animis veneretur!  
 Adeste & vos, *Gratia, precesq;*! ac *Soteria DEO*  
 nostro dedicate in hoc cultibus divinis sacro  
 loco! Ita vos invitat mater *Academia*, cujus  
 hoc inter alia scitum & magisterium est, ut  
*temporibus filias educet*, hoc est, rerum gestarum



memorias posteritati tradat, atque in primis beneficiorum DEI celebratione calamum suorum impleat. Ita præstolantur vobis tot veneranda & amabilia capita, quæ pro sapientiæ generositate, pietatis & Musarum Patrociniis, minorum publicorum dignitatibus, ætatisque teneritudine, ac speratæ frugis præstantiâ, ceu diversa cœlo posita sidera, lucem suam huic Panegyri fœnerant. Sed tu, *Veritas!* lineam signa orationis, ediffere stupendam hujus *Electoratûs liberationem*, ac fatere, quod res est, citra fabulam, & absque omni furo; Unde suppetet gratiarum actioni dives materia, & constabit, *Deo Sospitatori nostro*, Ecclesiæ tranquillitatem, patriæ libertatem, propugnatorum vitam, & omnium nostrum incolumitatem accepto ferendam esse: Ipsi hanc ædem factam tectam, has aras & collegia, hunc spiritum, hunc aërem & hanc, quam publico nomine modò sonamus, vocem, unicè deberi!

Duraverat jam in *Germania* continuo duodecennii tenore bellum grave & exitiosum, quò pleræque *Evangelicorum* ditiones à milite *Cæsariano* ad maximam redactæ sunt vastitatem. Tanto malo quæsitum sunt tituli non uniusmodi: Aliis objiciebatur meritum ex infidelitate & Majestatis læsione: aliis obtentu inevitabilis



tabilis necessitatis injungebatur, ut frumentationem pabulationemq; sufficerent exercitui: alia denique pro redimenda pace incredibiles ad bellum sumtus conferre cogebantur. Præterea jam nova prædandi vocabula, & machinamenta varia, ex communi miseriâ auream messem metendi. Solus ferè *Saxonia Elector* hoc gratiæ quasi privilegio fruitus est, ut oneribus istis non gravatos videret subditos, quamdiu sub velo sanctissimarum necessitudinū, atque, ut vocant, *Sincerationum*, intentatum periculum diuturnæ infidiæ occuluerunt. Tandē verò in apricum venit omnis *Ligistarum* intentio, ac non minus contra hunc, quàm alios *Protestantes* illætabile illud & à Jesuitis extortum *Edictum de reddendis Ecclesiæ Romano-Catholica bonis Ecclesiasticis* prodiit, authoribus, non Imperii Statibus, sed quibusdam *Consiliariis Aulae Casareae*, iis præsertim, quos constabat nostræ Religioni infensissimos, & aliquos illorum etiam apostatas esse. Accedebant alii defectus; intermissa nostratum ad acta rotulanda citatio, si qua vellent gravamina opponere: executio demandata non supremis *Circulorum Præfectis*, sed hominibus *Ecclesiasticis*: & talia multa, quæ legitimè objici posse nōrunt publici statūs ac temporum consulti. Non intermiserunt *Ordines* sta-



tim super ista re *Majestatem Cesaream* implo-  
rare, ut propter modò recitatas aliasq; causas  
Edictum antiqvaret, allegantes fidem suam,  
hactenus omnibus obsequiis deditissimam, &  
merita non obscura, quæ tali redhostimento  
compensatum iri minimè sperarent. Missi  
sunt insuper *Legati*, qui exorarent *Cesaream*  
*Majestatem*, ut de pristinâ clementiâ non re-  
mitteret, nec locum daret violentis hisce con-  
sultis, quibus in extremum discrimen *Germa-*  
*nia*, communis patria, adduceretur: Confide-  
raret vicissitudines rerum, & variabilem even-  
tum belli, nec fideret nimium rebus, hactenus  
ad nutum fluentibus, quibus freti turbones  
aliqui parùm cogitent futuri temporis exitum,  
& quid ferus vesper vehat: Non in castellis, non  
in propugnaculis arcem majestatis consistere,  
sed in animis & benevolentia *Ordinum Imperii*  
solidari, quorum obsequiis & fidelitate potiùs,  
quàm plurium regionum latifundiis metienda  
sit Imperii magnitudo. Reduces *Legati* nihil  
aliud attulerunt, quàm instare jam Comitia  
Imperii, *Ratisbona* indicta, ad quæ negotium  
hoc non sine causâ differretur. Ubi eò perven-  
tum est, pax quidem magnò paratu ac typhò,  
ceu *Palladium* ac *pignus Imperii*, quo publica sa-  
lus contineretur, multis promissis ingemina-  
batur;



batur; sed *Cæsaris* decretoria voluntas inclinari non potuit, quin semel conditum *Edictum*, cum omnibus clausulis rigidè urgeretur. *Protestantium* autem sententia erat, sibi quidem nihil magis in votis esse, quàm Pacem publicam, sed eam, quæ non sit servitutis aut ignominiaë *pactio*. Talem pacem, quæ quidem dulci nomini suo respondeat, salvâ dignitate *Ordinum* constitui non posse, nisi è medio tollatur illud in Imperio terriculum, quod *Edicti* nomine sit emissum: Quod nisi fiat, se puros fore ab omni invidia & culpâ cladum & miseriarum, quæ posthac publicis cervicibus incubare possint, quando hujus sententiaë duritas in perniciem Imperii cederet.

Cùm autem nec dum aliquid ullis precibus aut rationibus obtinerent, *Serenissimus noster Elector* sub auspiciis anni 1631, ad 6. Febr. *Lipsiam* convocat *Imperii Ordines Evangelicos*, ut communi causæ unanimibus votis & sententiis incumbant. Hi sicut istiusmodi conventum apprimè judicabant necessarium, ita summoperè commendabant *Electoris* vigilantia, & circiter tempus præstitutum magno numero conveniebant: Præ cæteris conspicui erant *Serenissimus Elector Brandenburgicus, Dominus GEORGIVS VVILHELMVS, & Illustrissimi Princi-*



Principes ac Domini, AUGUSTUS, Palatinus  
 Rheni; JOHANNES PHILIPPUS, nec non  
 VVILHELMUS, JOHANNES CASIMIRUS,  
 Saxonix Ducēs; CHRISTIANUS, Marchio  
 Brandenburgicus; VVILHELMUS, Hassiæ  
 Landgravius; AUGUSTUS, Anhaltinus. Præ-  
 ter hos etiam præstò erant, quos Domini fra-  
 tres sibi comites itineris adsciverant, JOHAN-  
 NES VVILHELMUS, & FRIDERICUS  
 VVILHELMUS, de Altenburgica; & BERN-  
 HARDUS, de Vinariensi linea Ducēs. Cæteri,  
 quos viæ ab infenso milite obsessæ, aliq; im-  
 pedimenta distinuerunt, nominis Evangelici  
*Ducēs, Marchiones ac Principes*, Consiliariis,  
 Viris profapiâ, noticiâ Imperii, prudentiâ, &  
 meritorum famâ insignibus, vices suas detule-  
 runt. Principibus succedebant antiqvâ gene-  
 rositate & animi magnitudine illustres *Comites*  
 & *Barones*, qui partim *ipsi*, partim per *Legatos*,  
 Viros Boni publici observantissimos, compa-  
 ruerunt. Tertii Ordinis erant *Imperialium*  
*Civitatum* in *Franconiâ, Sveviâ, Alsatiâ, Saxo-*  
*niâ, &c.* *Legati*, qui cæteris Statibus, fidei, soler-  
 tiæ, ac dexteritatis suæ gratissimam memoriam  
 reliquerunt. Quorum omnium nominibus, si-  
 lentio nostro, quod brevitatis orationis exigit,  
 ne hilum decedit, cùm ea jam sint aliorum re-  
 latio-



lationibus nota, & memoriæ perpetuæ consecrata, quamdiu æstimabitur studium & cura libertatis Germanicæ, majorum sanguine glorioso partæ. Peractis solennibus, cumq; jam mutuis salutationibus & gratulationibus, suis cuique honoresset habitus, cœperunt agere de negotio, cujus ergò Conventus instituebatur. Id quia magnæ molis erat, lento gradu procedebat, licet diligentia, quæ à patriæ amantibus requiritur, desiderari nulla posset; Quæ autem cæteri Ordines deliberaverant, *Serenissimi Electores, Saxo & Brandenburgicus*, probè discussa, authoritatis suæ suffragio gravissimo firmabant.

Habitis ultro citroq; consiliis, tandem decernunt, *Cæsaris Edicto* se parere non posse, nisi DEO, dominorum omnium DOMINO, velint abrenunciare, & protinùs in dubiam libertatis ac servitutis aleam ire: *dare se velle Cæsari, quod Cæsaris est; Deo autem minimè denegare posse, quod Dei est.* Quòd si vis aliqua sibi inferatur, pro veræ religionis custodiâ & libertatis Germanicæ vindiciis intrepidè pugnandum esse. Finito Conventu, ne quid alienum à suo loco fecisse arguerentur, *Cæsareæ Majestati* conclusum suum, per literas prolixas subjectissimè referunt, petuntq; executionem *Edicti* & omnes



mnes violentas molitiones atqve exactiones  
 inhiberi. Malè habuit hoc negotium tum *Cæ-*  
*saream Majestatem*, tum *Ligam* universam :  
 Unde & non pauci ex Ordinibus Evangelicis  
 partim *vi*, partim *minis* cò adacti sunt, ut  
*Conventus Lipsiensis* concluso renunciarent.  
*Electo* autem *Saxonia*, diu libratis expensisq; o-  
 mnibus, quæ maturæ deliberationis indige-  
 bant, accedente inprimis *Sociorum suorum* in-  
 stinctu, opus esse statuit, benè consultis tan-  
 dem jungenda esse facta, ut adversa pars intelli-  
 geret, sibi Sociisq; constare decretorum ratio-  
 nem. Proinde exercitum conscribit circiter  
 viginti millia peditum eqviturumq;. Similiter &  
*Illustrissimus Landgravius Hassia*, *Dominus*  
*VVILHELMUS*, copiosum militem compa-  
 rat in salutem publicam, & quidem summâ ve-  
 locitate, ut occasionis articulum è manibus  
 non dimitteret, sed in tempore veniret, quod  
 rerum omnium domi ac militiæ est primum.  
 Utrique enim rebantur, optimum esse augu-  
 rium, pro *patria, religione, aris & focus pugnare* :  
*Cæsarem* quidem à naturâ propensum ad leni-  
 tatem & clementiam; ei tamen per inqvies in-  
 genium Jesuitarum non licere moribus suis  
 uti. Quia tamen *Electo Moguntinus*, pro-  
 xene-



xenetâ Illustrissimo Hassiæ Landgravio, Domino  
GEORGIO, spem aliquam fecerat ineundæ  
compositionis, eiq; certum diem & locum  
*Francofurti ad Mœnum* præstituerat, *Electo* no-  
ster nec hanc recuperandæ pacis occasionem  
aspernari voluit. Missi sunt ex *Senatu aulico*,  
qui gerendis rebus lucem consilii, gratiæ, atque  
autoritatis commodarent, dum negotiatio ista  
disceptaretur. Statim autem in vestibulo de-  
liberationis, qui *Ligæ* partes agebant, cum for-  
tunâ suorum splendidâ loqui cœperunt, gravi-  
terq; tulerunt, sibi, ampullas sesquipedalium  
verborum jactitantibus, opponi, quòd futuri  
temporis exitus in incerto esset, insolensq; vi-  
ctoriæ fiducia ac hostis despectus sæpe gravibus  
malis expiari solet. Cùmq; prima sessio ha-  
beretur, *Protestantes*, tanquam hujus conven-  
tûs indictionem implorantes, jussi sunt propo-  
nere Compositionis tales conditiones, per quas  
& *Pax Religionis* & *Leges fundamentales* in soli-  
do manerent, & *Edictum Casareum* nullo mo-  
do violaretur. Quod postremum postulatum  
*Statibus & Ordinibus Evangelicis* adeò accidit  
adversum, ut censerent, quovis cum peri-  
culo potius bellum amplectendum, quàm  
ad tam abjectam & suæ conscientiæ adversam  
conventionem detrudi.



Nihilominus multorum Procerum jamdudum mentes erant arrectæ prolixâ expectatione, quorsum evasura esset consultatio. Sed enim nondum soluto isto Conventu, Comes *Tullius* per Legatos poscit ab *Electore*, ut sine morâ vel militem suum dimittat, vel *Sveciæ Regem*, ejusq; exercitum sociâ oppugnatione persequatur, & copiis *Cæsareis* liberum comitatum ac necessaria impendia ex ditionibus suis procurret, nec non *Episcopatus*, hactenus detentos, *Romanæ Ecclesiæ* restituat: Nî facere vellet, paratam jam esse bellicam vim, quâ cogeretur. Regessit *Elector*, jam sibi liquidò apparere, facta *Cæsarianorum* dictis discrepare, minimeq; effectum tot antea datis pollicitationibus congruere: Jam enim rumpi omnia vincula, & jure-injustâ offensione multimodâ prolixam infelicis discordiæ materiam præberi. Satius itaque esse, vel nullam, quàm adeò incertam sperare salutem, & cadere semel, quàm semper suspendi: Bellum non se provocare quidem, sed nec timere; siquidem ipsi necessitas imponatur aperto Marte agendi cum his, qui hactenus ignes infido cineri supposuissent ad commune incendium. Hinc *Martisburgô*, quod audientiæ Legatorum deputatum fuerat, *Lipsiam* reversus, in castris, ante portam *Halensem* fixis,



fixis, recenset omnem exercitum, inq; aciei ordinem redigit: Postero autem die *Torgam* mittit, ne commeatus ad Albim sibi præcluderetur à *Tillio*, de quo compertum habebat, quòd tractui huic insidiaretur. Interea *Tillianus miles*, quia istam spem decollasse videbat, late grassatur per oras *Episcopatus Martisburgici & Numburgensis*; Martisburgum occupat, oppida pagosq; finitimos diripit, æraria Ecclesiastica & fiscum publicum expilat, prædas hinc inde abigit ingentes, & spolia ampla convasat. Libidini enim *tyrannionum istorum* universæ facultates omnesq; thesauri patere cogebantur: quo more olim *Brennus*, Gallorum regulus agebat: *se jus in manu armisq; ferre, & omnia virorum fortium esse.* Hic processus multos *Lipsiæ* nostræ incolas ita consternavit, ut res suas aliò transferrent; ac præter alios maxima pars Professorum discederent, quòd scirēt, annis abhinc quatuor & octoginta simile quid à majoribus suis, sub Rectoratu *M. Constantini Pfluger*, *Glogoviensis Silesii*, esse factum, bonâ cum gratiâ Electoris, quam verò ipsi implorare in puncto isto temporis non poterant. Suffragabatur etiã iis omniũ temporum experientia, quòd Musis & functionibus Academicis non sit locus inter lituos, Bellonæq; strepitus.

Liv. 1. 5. de-  
cad. 1.



Et metum futuræ obsidionis minimè vanum fuisse, paulò post eventus demonstravit, cum *Tullius* versus *Lipsiam* omnes copias adducit, & equitatu vias obsepit, ut liber nec accessus, nec exitus pateret.

Initiò quidem *pellem vulpinam* hostis ostendit, tantum alimenta necessaria exigens per generalem castrorum Præfectum, qui primus ad explorandos nostratum animos & velut prætentandum vadum advénit. Datus ipsi est *Senatus*, & re deliberatâ, responsum: tantæ copiarum cornu, unde victus tot hominibus ministraretur, penes se minimè haberi, neque etiam suæ spontis aut optionis esse, quid quantumvè de penu civitatis promere velint: se totos ab *Electoris sui* nutu arbitraturq; pendere. His auditis, paulatim *leoninam* *Tullius* prodidit: Nam forti equitatu cincta urbs, ne quâ pateret abitus; custodiæ ante portas positæ: postulatumq;, ut cohortes aliquot exercitus in urbem reciperentur. Repetita est à civibus prior excusatio, præsertim cum ipsis adventu *militis defensionarii* animus adderetur. Ut autem majori futuræ calamitatis terrore percellerentur, *Tullius* postridiè exercitum circiter quadraginta millia virorum urbi visendum præbet, & ex castris suis denuò mittit, qui pristinam petitionem

nem



nem de receptione exercitus integrarent, additis gravissimis minis, nisi statim satisfaceret postulato: neque posthac ipsis sperandam esse ullam advocationem ex interventu cujusquam mortalium, quandoquidem ita sententia staret: frustra esse, vanæque credulitatis palpo lactari eos, qui sibi opem ab *Electore* venturam imaginentur. Conquerentibus autem civibus, se nimis in arctum cogi angustiâ temporis, quò minus de re tantâ satis deliberare possent, concessit aliquod spacium, & interea omnia jussit ad obsidionem præparari. Verùm denuò voluntati ejus obnititur civitas, speratis Domini sui suppetiis freta, & interim pro virili se defendere in animum inducit. Quo cognito, *Generalis Tillius* exercitum suum statuit ad proximum urbis confinium, & ante villam *Pfaffendorff* plantat bellica tormenta cum ingentibus pyrobolis: à tergo autem pagi *Euteritzsch* fortissimas prætenturas collocat, unde auxiliorum Electoralium adventus prohiberi posset. Nihilominus constitutum erat civibus, vel extremam belli aciem experiri, quàm sese dedere. Eâ de causâ videbatur nonnullis BONUM fieri ad impediendâ obsidionem, si omnia suburbia, quibus jam hostis approximaverat, igne consumerentur.

Quòd



Quod consilium etsi ægrè admissum est, tamen obtinuit; unde maxima pars ædium ante portas incendio conflagravit, & hortorum plurimo sumtu, perq; tot annos exculta amœnitas, uno die in ignem abiit. Ita suburbanis in orbem acta rediit clades, quæ anno supra millesimum quingentesimum quadragesimo septimo, circiter Epiphaniæ festum, eos afflixerat, cum pari modo universæ structuræ suburbiorum in cineres sunt redactæ. Nos, quibus arcana bellicorum consiliorum rimari non licet, miseris squalidisq; opimam Dei benedictionem & propitiam aliorum opem apprecamur, ut postliminiò facultates longè majores recipiant.

Præter hoc impediendi hostiles conatus opportunum, ut credebatur, medium, non etiam feriatae sunt nostræ machinæ, quas ex propugnaculis & mœnibus in equitatū *Tillii* hinc inde cives exploserunt, ut ne ipse quidem extra periculum esset, cum ei proximum à latere *Officiale* inopinus globus feriret.

Hæc causa Obsessorum, bilem *Seni* moverunt, ut à meridie vicem iis rependeret terribili machinarum tonitru, ac sequente nocte, compactos ex ferro orbes, eosq; vastissimi ponderis, in urbem conjiceret; quibus  
ædifi-



ædificia quidem aliqua sunt concussa, nulla ta-  
 men (*Deo sit laus!*) ignem conceperunt & exar-  
 ferunt. Postero die accesserunt horribiles mi-  
 næ, *Tillii & Papenheimii* ejuratione magnâ  
 confirmatæ, de præsentissimo urbis omniumq;  
 in eâ hominum excidio, nisi absque morâ de-  
 deretur. Hac atrocitate permoti cives cõ sunt  
 redacti, ut bono publico consultum judica-  
 rent, si cum hoste *æquis conditionibus* tractarent:  
 Forſan enim, dum hoc temporis interuſurium  
 lucrarentur, *Electorem*, cujus adventum anxie  
 præſtolabantur, cum exercitu ſuo adfore: ſin  
 minus, eſſe ferendam ſortem, quam mutare  
 nequirent. Annuit hujus conventionis tracta-  
 tioni *Tillius*, & dati ſunt utrinque obſides, dum  
 abſolveretur mutua tranſactio. Cùm ergo Ci-  
 ves, intercluſis omnibus viis, *Electoris* intentio-  
 nem perſpectam minimè habere poſſent, & vi-  
 derent, in manu ſuâ non eſſe vim & facultatem  
 averruncandi hoſtilem impetum, extremæ ne-  
 ceſſitati parendum ducunt, & prout pacti fue-  
 rant, *militis Tilliani* coetus aliquot intromittunt.  
 Inter illos autem *conventionis articulos* hæc pun-  
 cta verbis conceptiſſimis erant reſervata, ut *re-*  
*ligionis exercitium liberum linqueretur, & ſalvum*  
*sibi ſemper eſſet auctoramentum, quo Sereniſſimi Ele-*  
D
ctoris



*etoris Saxonie Excelsitati essent obligati; ac ne ci-  
ves nimiam militum recipiendorum multitudine gra-  
varentur. Sunt, qui observatu dignum judi-  
cant, deputatos Civitatis, cum hos tractatus pri-  
mum sollicitarent, à Tillio fuisse in bustuarii æ-  
dibus auditos; & ex eventu interpretantur, in-  
stitisse jam tempus; quò mortis peculium &  
Libitinae ludibrium fieret magna pars Tilliani E-  
xercitus.*

Altero die, quò *articulorum ratihibitio* in li-  
teras relata, & mutuis sigillis confirmata est,  
*Tillius* extra portam *Petrinam* conspicatus est  
suorum in urbem receptionem.

Hinc è vestigio ad reliquum exercitum pro-  
perat, ut ordinaret aciem contra *Electorem*,  
quem duobus tantum miliaribus abesse co-  
gnoverat. Nam tot facinoribus Cæsariani mi-  
litis defatigata *Electoris* patientia, tandem in ju-  
stas vindicias exarsit. Jam enim manibus palpa-  
ri poterat, religionem orthodoxam, pro quâ tot  
innocentes animæ omnia malorum genera su-  
stinuerant, extremâ, quod dicitur, tegulâ hære-  
re, & *libertatem Germanicam* fœdæ servitutis ju-  
go prorsus oppressum iri. Non itaque aliud ex-  
pediendæ salutis mediû invenire potuit, quàm  
ut ad ultimæ necessitatis subsidium deveniret,  
quod est, *vim vi propulsare*. Quod namque ju-  
stius



stius bellum esse potest apud gentem, veritatis  
 coelestis retinentissimam, & suâ sorte ac indole  
 propensam ad ingenuæ libertatis studium de-  
 cusq; & gloriam, quàm illud, quò idololatriæ,  
 & superstitionibus, nec non sævitia, in viscera  
 patriæ impetum facienti, obex ponitur? Omnia  
 jura divina & humana illorum adstipulantur  
 institutis, qui pro aris focusq;, pro salute publi-  
 cã, pro vitã & sanguine redimendo tam suo,  
 quàm conjugum, liberorum, subditorum, con-  
 tra vim & violentiam impotentissimi domina-  
 tûs dimicare necessum habent.

In propinquo tunc erat forticum exercitu  
*Rex Suecia*, animo & spe ad omnia sancta sum-  
 maq; natus, *Heros* invicti laboris, cujus virtus  
 & magnitudo animi divinitus videbatur desti-  
 nata ad coercendam vim atque tyrannidem  
*Pontificiam*, quæ alioquin erupisset in exitium  
 totius *Europa*. Exemplo erat jam tota *Pomera-  
 nia*, universa *Marchia*, & maxima pars *Duca-  
 tûs Megapolitani*, unde istas rapaces & præda-  
 torias aves abegerat, ut cum ipsis mensibus, im-  
 mò & septimanis, victorias æqvaret, atque ita  
 futuræ quoque fortitudinis & felicitatis quasi  
 vexillum ad juvandam Ecclesiam & Rem-  
 publicam Christianam erigeret. Sed his  
 omnibus laudibus potior erat pietas, quâ



neminem, inter totius mundi Proceres, habet  
superiorem. *Adrianus* Imperator, ut subdito-  
rum animos sibi promptâ reverentiâ devinci-  
ret, crebro sermone gloriari solebat: *Dii me*  
*tuentur: Diis pietas mea cura est.* Quo fine &

Liv. dec. 1.

l. 1.

Val. Max. l. 1.

c. 2.

Svet. in Ca-

ligula, num.

22. edit. Gru-

teri.

H. Mutius l.

6. German.

Chron. p. 43.

Ioh. Naucl.

volum. 2.

generat. 22.

p. 635.

*Numas* cum *Nymphâ Ageriâ*, *Sertorius* cum  
*Cervâ*, *Caligula* cum *Jove*, *Castore* & *Polluce*,  
*Mahumetes* cum angelo, habita mutuis affati-  
bus consilia prætenderunt. In hoc autem

*Heroë* pietas non simulata, non ostentabunda,  
non idolis dedicata, qualem præ se tulerunt  
gentiles illi, & plerique ex his bestia potius,  
quàm homines: sed vera, sincera & seria, quâ  
te *Religionis puræ Zeloten* & *hyperassisten* exopta-  
tissimum, nec non vivum devotionis & inno-  
centis vitæ exemplum luculentè demonstrat.  
Hinc *Deo* bonisq; omnibus carus, *eventum la-*  
*tum*, id est, actionibus suis congruum adipi-  
sci solet, militemq; habet ad omnia obsequia  
promptissimum.

Cum hoc ergò *Heroë* *Serenissimus noster E-*  
*lector*, adjuvante *Electore Brandenburgico*, certis  
pactis conventisq; se arctius conjungit, ut sacri,  
quod orsurus erat, Belli consilia, hætenus ma-  
gno molimine hinc inde agitata, ceu pietas &  
salus publica postularet, mutuis auxiliis effe-  
ctui darent. Sed priusquam huc iret *Serenitas*

*ejus*,



*ejus*, quàm variæ hinc inde voces, pro cuiusque captu, spe, aut metu, in ore famæ vagabantur? Mora & lentitudo consiliorum passim deplorabatur. Verùm cordati omnes, eventu magistro postea edocti, agnoverunt, *maturâ cunctatione*, hoc est, *sat citò*, quia *sat benè*, consulta in actum traducta fuisse. *Electores* enim, quamdiu superesset aliquod togati mediæ tentamentum, consideratâ rerum humanarum instabilitate, prius omnia consiliis, quàm armis volebat experiri, certò statuens: neminem satis rigidum suæ erga superiorem fidei exactorem esse posse, antequam sentiat post diu lentatam patientiam ita irritari necessitatem, ut quasi Dei manu porrigatur competens *gladius*, ad retundendam violentiam, innocentiam magnâ enormitate illatam.

Et jam ex *Archivis* prodierunt interioris Aulæ Acta in hoc negotio quamplurima, quæ luculento sunt indicio; *Electorem nostrum* semper in eam partem propendisse, quò Ecclesiæ salus & publica utilitas præponderarent, licet mediocriter delectu ab aliis quandoque diversus fuerit. Postquam verò tam hostili provocatione exasperata fuit virtus Excelsissimi animi, læsaq; nimium patientia, temporibus assensendum, & ex Reipublicæ tempestate consi-



lium velut navigium flectendum fuit ac moderandum, ne spes suas in lubrico habere, ac dubiam sortem amare videretur. Quid enim est, quod contra injustam vim sine vi inculpata tutelæ fieri possit? In primis verò hîc adorandum est providentiæ divinæ Numen, quod noluit auxilii sui majestatem anticipari, longè conspectioris futuri, si omnium vocibus conclamata & veluti depositæ jam salutis *Misnia & Thuringia*, etiam ingratis hostium, firmo talo starent, ac noxæ, quam adversa pars machinata nobis fuit, in totum mundum dispalesceret indignitas. Nimirum hæc *Dei* est laus, quod sit *adjutor in opportunitate*; hæc eminētia, quod dispositione suâ, quicquid forsitan in capessendis consiliis erratum est, aut eorum executione tarditatis humanitùs obvenit, flectere possit ad finem sibi gloriosum, Ecclesiæ salutarem, ac Reipublicæ proficuum.

Itaque *Regia Majestas* in auxilium sic vocata, cum suo exercitu Albim prope *Vittebergam* trajicit, & *Thübenam* proficiscitur, quò & *Serenissimus noster* cum suis copiis se confert. Ubi convenerunt, de summâ rei tractatum est, statutumq; communiter, quid maturè facto esset opus, ne tempus extraheretur, & belligerandi opportunitas consumeretur. His consiliis & *Serenis-*



renissimus Elector Brandenburgicus, qui nostrum Electorem Torgâ comitatus fuerat, operam studiumq; suum navavit. Ante omnia disquisitum est, num statim acie contendendum esset cum hoste, an verò optatæ occasionis aucupio sensim frangi atqve enervari deberet ejus robur? Et Regis quidem eò inclinavit animus, ut tantum negotium, in quo cardo vel salutis & felicitatis, vel cladis & miseriæ harum regionum verteretur, dubio Martis eventui per subitaneum prælium non committeretur. Elector autem contrà instare & urgere cœpit, ut socio conflictu gradus manusq; cum hoste conferretur, qui alioquin fixam sibi sedem in his ditionibus paraturus esset: neque se videre ullum modum, quo comatus Regio suoq; exercitui suppeditaretur, siquidem fertilissimæ partes Electoratus jam sint prædæ rapinisq; hostilibus obnoxia. Cùm sic in proposito Elector perstaret, Rex pro suo erga domum Saxoniam affectu deesse noluit salutem publicam, quòd sciret, suam pietate & providentiâ casum in sapientiam vertere, ac dubiam fortunam efficere occasionem, expeditionibus suis aptam & commodam, quæ summa in consiliis, præsertim bellicis, laus est & utilitas.

Interea Liga Papistica Generalis campum, ubi nostris volebat obviam ire, delegerat in agris  
pagi



pagi *Podelovitzii*, uno abhinc milliari, ubi aptissimum suo instituto locum tenebat. Ven-  
ti quoque accuratam habuit rationem, eoq;  
cardine militem collocavit, quo flatus suis co-  
natibus accommodus, nostris verò adversus  
esset.

Pariter ad conflictum sese parant *Regia* &  
*Electoralis* copia, sed viâ difficili, perq; flexus va-  
rios & agrorum colliqvias accessus erat fa-  
ciendus. Deprehendebant etiam, se cæteris  
prærogativis aciei, quibus pars adversa gaude-  
bat, defectas esse: nihilominus intrepidis ani-  
mis appropierant, & strenuè spei suæ insistent,  
freti bonitate causæ, divinoq; auxilio. In cu-  
jus attestationem præter mutum *Symbolum*,  
quò se invicem in tanto pulvere internosce-  
rent, nempe *ramulum salignum*, data erat eis  
quoque hæc vocalis tessera: DEUS NOBI-  
SCUM, Gott mit uns. Et quidem *Electo*r ad  
dextram hostis procedit: *Rex* verò sinistram  
versus pergit, & exercitus sui aciem dividit in  
alam dextram & sinistram, ut quælibet haberet  
suos cuneos, alios anteriores, alios retrofiores.  
Insuper & delectos ex peditum genere viros  
fortes Equitatu aptâ & conveniente serie in-  
terjicit, qui longioribus, & qualibus Equites  
non



non utuntur, sclopetis, eminens peterent equitatum hostilem, strategematis hujus ignarum: Neque enim in tantâ distantia, quâ pedites globum torquebant, equestribus sclopetis usus esse poterat.

Hoc arcanum belli ferè simile est illi, quod Vegetius præscribit: *Si equites impares fuerint, more veterum, velocissimi cum scutis levibus pedites, ad hoc ipsum exercitati, iisdem sunt miscendi. Quo facto, quamvis fortissimi hostium venerint; tamen adversus mixtum agmen pares esse non poterunt.* Et hunc aciei apparatus, *Germanorum* inventum esse, ex Julio Cæsare ac Tacito cognoscere possumus.

*Veget. lib. 4. cap. 16.  
Iul. Cæs. lib. 7.  
Bell. Gall.  
P. Corn. Tac.  
de mor. Ger.  
manor. fere  
sub init.*

Dum autem sic adversus hostem in prociectu stat *Electoralis exercitus*, de improvviso candida columba lanceæ cujusdã militis infidet, quæ ubi diutulè ita requieverat, postea remigio alarum totum aërem, sub quo sociæ hæ copię constiterant, læto spectaculo, tranat. Hæ res militibus addidit animum, ut benè de belli eventu ex parte suâ sperarent. Sæpè namque in bellis hæc providentiæ & bonitatis divinæ signa prodidere, a quâ parte victoria expectanda esset. Cum *Lepidus & Antonius* oppressum irent *C. Cæsarem Octavianum*, Aquila Cæsaris tabernaculo infidet, ad quam

E

mox



Dion 1-47.  
Hist. Rom.  
Gatim sub-  
im.

Olaus c. 14

Bonfin. Re-  
rum Vngar.  
decad. 2 l. 3.  
p. 216.

Matt. 10. 16.

Cant. 2. 14.  
S. g. 2. c. 6. d.

mox duo advolant corvi, quia alas aquilæ conantur evellere, sed ab eadem statim occiduntur. Sic prænunciata Cæsari victoria, & utriusque adversarii clades, corvorum nece fuit notata. Memorabile etiam est urbis *Aquilegia* expugnandæ signum, quod *Attila* datum, in vitâ ejus scribit *Nicolaus Olaus*. Cum enim urbem per triennium frustra oppugnâset, & pænè jam desistere ab obsidione vellet, mœnia illius circumequivitat, atque animadvertit, *ciconiam*, quæ in summo turris culmine nidum habebat, pullos in plumes ex eodem in vicinum arundinetum rostro deferre. Ex quo spectaculo *Attila* non ineptè conjecit, indicari urbis ruinam & expugnationem, ex cujus præscitu *Ciconia* suis pullis securitatem præparet. Simile victoriæ documentum *Bonfinius* narrat, *Ladislao*, Ungariæ Regi, contra fratrem *Salomonem* belligeranti, obtigisse à *mustelâ candidâ*, quæ per hastam Regis, veprem fortè tangentis, in ejus gremium suavissimè delapsa est. Cur ergò etiam hanc super *Evangelicorum* acie conspicuam columbam candidam non accipiamus de omine læti evenus? Novimus in sacris columbam à simplicitate & candore doli experte commendari, eiq; assimilari *Ecclesiam*, quando *Christus* suam sponsam alloquitur. Nimirum hæc appa-



apparitio columbæ ostendebat, in propinquo  
 jam esse horam illam Redemptionis, quâ Deus  
 Ecclesiam Evangelicam, instar columbæ, præ angu-  
 stiis mutæ, gemebundam, & in solius petrae <sup>psal. 96. v. 8.</sup>  
 Christi Jesu foraminibus latitantem, vellet à sæ- <sup>Esa. 59. v. 18.</sup>  
 vo isto vulturum & accipitrum genere sospi-  
 tem præstare, ejusq; simplicem candorem &  
 candidam simplicitatem excelsâ manu as-  
 ferere.

Ubi ventum est ad prælium, primus ho-  
 stem aggreditur *Electus*, qui cannarum gran-  
 dium lusus bellicos incredibili tormentario-  
 rum agilitate & artificio per bihorium inge-  
 minat, tantâ cum strage hostium, ut singulis vi-  
 cibus denos milites interimeret, aciemq; totam  
 non parùm hebetaret. Quâ de causâ *Tullius* or-  
 dines duplicare coactus est, ut paucioris sangvi-  
 nis impendio præliaretur. Interea *Rex* per hu-  
 milioris saliceti fauces mirâ celeritate ad ean-  
 dem, in quâ *Tullius* exercitum stiterat, plagam  
 penetrans, dimidiam venti usuram participat.  
 Quam quidem hostis ipsi voluit adimere, sed  
 infelice molimine: Nam *Ducis Holsatiae ADOL-*  
*PHI*, tum pedites, tum etiam equites, ad sinistra  
 alam constitutos, partim cadere, partim terga  
 dare vidit. Cognitâ ergò istâ, quam *Rex* adhi-  
 E 2 *bold* *dar* *buc-*



buerat, peditum cum equitibus mixturâ, *Tillus*  
 adhuc magis ad lævam pertendit, & reservatos  
 in alâ dextrâ Regis prius adoritur, quàm in  
 frontispicio collocatos cuneos. At illos celeri  
 succursu *Rex* secundat, tantâq; ingruit vi, ut  
 brevissimo tempore ala sinistra hostis frange-  
 retur, atqve implumis redderetur. Exin *Til-  
 lius* de cacumine producit sedecim signa pedi-  
 tum alæ dextræ, ex utrâqve parte copiis eqve-  
 stribus cinctorum. Verum & his manu regiâ  
 valdè attenuatis, diro œstro furians furensq;  
 ita flectit aciem, ut in *Saxonicos* potissimum o-  
 mnem vim bellicam exoneret, quos suæ trucu-  
 lentia scopum fecerat. Statio verò illorum  
 erat valdè importuna, tum ob venti adversita-  
 tem, tum ex continuo pulveris objectu, è terrâ  
 in altum contra se rapti, visumq; pugnantium  
 intercipientis. Quam occasionem conspica-  
 tus *Tillus*, impellit Equitatum, ut ad Electora-  
 lium tormentorum custodias penetraret; Quo  
 facto, aciem frangere & dissipare incipit. Ita ex  
 nostris numerus multò maximus promiscuâ  
 cæde perit: superstibus autem resistendo im-  
 paribus hostis insultabat, seq; palmam *Evange-  
 licis* non dubiam tantum fecisse, sed & omni-  
 nò eripuisse confidebat. *Rex* videns ambiguè  
 certari ab Electoralibus, ut est mirificus consi-  
 liò,

liò,



liò, manu, voce incentor militis, adversus hostem suos animat, eumq; subito circumvenire jubet. Dum enim *Tilius* adeò in *Saxonicos* impetum fecerat, præcipite persecutione tractum illum, quò prius aciem suam collocaverat, incautus deseruit. Huc igitur *Rex* militem suum succedere mandat, atq; sic universâ venti commoditate potitur adversus *Tilius*; ab alterâ verò parte suppetias venit *Saxonicis*, quibus iterum converfis, hostis, in medio quasi jam interclusus, acerrimè oppugnatur, & viribus suis per ingentem stragem enervatus succumbit. Ipse *Tilius*, cum animadverteret, se occasione suâ defuisse, eamq; adversæ parti dedisse; ad *vallem Rosarum* declinat, viâq; prætenfi *Martisburgum* properat. Sed cum nec ibi tutum receptum inveniret, *Halam*, ubi adhuc præsidium aliquod habebat, se derepentè corripit: Illic Chirurgi operâ plagam acerbam cervici inflictam lenit, nodosq; ac tumores aperit in conflictu acceptos ex sclopetorum globis, arte, nescio quâ, sed apud nostri seculi militiam nimis inolecente, retusis quidem & corpus non transadigentibus, magno tamen contusionis dolore afficientibus. Verùm & hinc sine morâ in *Saxoniam* ad reliquias suas pergit.

Hanc pugne faciem *Regia Majestati* ante



conflictū repræsentavit *somniū*, dum sibi visus est *Tillium* crinibus prehendere, qui tamen, priusquam sinistrum *Regis* brachium crudeli morſu læſiſſet, totus comprehendi & ſuperari non potuerit. Omnino *Electores* copia, quæ ad lævam *Regi* Exercitus erat collocatæ, talem impetum experiebantur: Sed in autoris caput & dorsum tandem omnis noxa recidit.

Ita eodem, quò pugna cœperat, die VII. Septembris, in Fastis à *Reginâ* denominato, glorioſè obtenta est *victoria*, omnium (rumpatur invidia!) calculo præclariffima. Initium ejus accidit dimidiâ quartâ pomeridianâ, cui finem nox dedit. Cladis magnitudinem testantur ex hostibus cæſorum multa millia, captorum plurimi, conſternatorum in fugam innumerabiles. Non pauciores fuerunt, qui vulneribus confecti, in viâ ſpiritus infelices ejicerent, non emitterent: Reliqui verò vel indignatione ſeqvioris eventûs, & adverſæ potentiæ livore perciti, ſcelera in ſcelere luerunt; vel metu majoris mali, quaſi turbine agitati, maximâ cum ſpoliorum ſuorum jacturâ, in ſomni velocitate vitæ ſuæ conſuluerunt. Exhaustâ nocte novam ſtragem dies aperuit, cum *Regia Majeſtas* hoſtem perſecuta, tria millia huc illic errantium, vindice gladio ad mortem miſit,

fit,



fit, ut passim in compitis jacérent prostrata cadavera. Inde nostro Electori *Martisburgum*, cæterosq; fines, injustâ vi detentos, recuperat; *Halam* denique cum arce Mauriti, hostibus extorquet, die XII. *Septembris*, quô & Electori *Lipsia* sua iterum dedita fuit à Tillianis, ante conflictum in urbem receptis. Hi enim veniâ, certis conditionibus impetratâ, postridiè, sed vacui, quas intulerant, amplissimis manubiis dimissi sunt, cæteris, qui è pugna illuc suffugerant, retentis captivis. Sic liberata est *Lipsia nostra*, quæ præ cæteris invisa erat Pontificiis, & vel istâ piaculari notâ damnas habebatur, quòd conventu *Evangelicorum Ordinum*, & scriptarum pro *Imperii pupillâ* vindiciarum publicatione celebris esset. At illa non tantum his augustis nominibus posthac magis inclarescet, sed ideò quoque, vel viventibus & cum remorsu conscientiaë freudentibus, in ore & calamo erit omnium, quòd in ejus confinio Evangelici vires adversarias prosperrimo fregerint prælio; Et hinc nuncia vox primitus ad alios sonuerit: *Eja! vicimus Evangelici!*

Sic ex insperato omnia novam faciem, & quæ jam hostis penitus emedullaverat loca, quasi spiritum & sanguinem receperunt.

Sic



Sic isti *belluones Germania*, qui sibi videbantur ad *mensas secundas* accessisse, brevem lætiam longo dolore compensarunt. Nimirum duras nuces, & amaras amygdalas invenerunt sibi proponi, minimè ad salivam facientes istorum delicatiorum, qui hæctenus tot peculia abligurierant, *tempestates & barathra omnium*, ut cum Horatio loquamur, *macellorum*. Nam vel pro *bellariis* *gramen* momorderunt, aut fugâ dilapsi *cupedias Misnicas* degustare noluerunt, eò recurrentes, unde infelicem pedem extulerant, & ad hoc superstites, ut acceptæ essent spectaculum calamitatis.

Hor. l. i. E.  
Pist. 15. ad  
Vall.

Qvis verò ante pugnam ausus fuisset sperare, nedum conjecturâ prælagire hunc eventum? *A DOMINO fuit istud, & est mirabile in oculis nostris. Dexterâ DOMINI fecit virtutem, Dexterâ DOMINI exaltata est: Dexterâ DOMINI fecit virtutem.* Habebat hostis militem tot annis exercitatum, qui ceu ferreus murus omnem impetum sustinere posset: in promptu erat exquisitus ad bellum apparatus: Duces æquè inflammati ad prælium, leoninos animos præ se ferebant, & singuli eorum in fortitudine ita secundas agere volebant, ut, qui primas sustineret, non facile discerni posset. Ipse *Generalis Tillius*, plurimâ ætate bello consumtâ, vin-

Pl. 118. v. 23  
v. 15.  
v. 16.



tâ, vincere non tantùm didicerat, sed & crebris  
 successibus consueverat, tot regionum terror,  
 & *Lige* superba fiducia: Unde verus hujus ætatis  
*Gedeon*, & rei Catholicæ in Germaniâ *propugna-*  
*culū*, à suis audire meruit. Taceo jam cætera vi-  
 ctoriæ suffragia, quæ ipsorum animos arrectos  
 intrepidusq; præstare poterant, Sed enim reple-  
 ta erat mensura peccatorum, & usque in cælum  
 pertingebant abominationes, quibus hostiles  
 istæ copiæ se polluerant. Ideoque felicitas pristi-  
 na, quasi dedignata castrorū talium commili-  
 tium, ab iis jam omnis procul facebat. Nun-  
 quam enim tam effrenis tamq; sui impotens li-  
 centia audita est, quam hæc furia sibi non fece-  
 rint propriam. Nihil adeò corrumpi, aut cor-  
 rumpere potest, cujus specimen illa castra non  
 dederint pessimum: sæpè vilissimi terræ filii tan-  
 tum sibi arrogare fastigium, ut excelsos etiam  
 Principes despiciatui haberent, ac pessundatum  
 irent. Plurimi, tanquam cælum expugnaturi,  
 omnia divina & humana promiscuè habere;  
 rapinis ac sacrilegiis ubiqve inuisa monumen-  
 ta nequitiæ statuere, in conspectu omnium ho-  
 nestas matronas, virginesq; suâ libidine con-  
 spurcare, impuberes & minimè potentes viri  
 puellas crudeli Veneri succubas reddere, partu-  
 rientium secretis immanem suam obscœnita-

Schopp. in  
 fundam. pa-  
 cis p. 140r



tem miscere, & interim in his, quasi re bene gesta, sibi placere; coactis maritorum ac parentum oculis, tanquam stupri arbitris ac sequestris, turpiter abuti, communesque gemitus, fletus & clamores, in gaudium suum atque cachinnos vertere. Sed his non contenta illorum libido, pudorem omnem devoravit, partim propalam in cadaverum muliebrium concubitus ruere, partim *capras* & *Indicas aves* (veniam quaeso aurium vestrarum verecundia, hæc referenti concedat!) secum circumductas, ad infandam turpitudinem adhibere visi sunt; quales monstrositates *casta Germania* nunquam antehac oculis suis obvias habuit. Te, mundi oculo, ô *Sol!* testor ego & rogo, annon purissimam lucem his plusquam sterquiliniis invideris, ac faciem atque erubescens genas obnubilaveris, ne amabilem tuum fulgorem rabies ista sibi haberet obnoxium? Qui, si loqui per naturam tibi datum fuisset, sic oppidò egisses: *Pudorem vestrum, malefici!* itane vecordes vos esse, & hominem prorsus exuere, ut naturæ quoque repagula, inter impuberes & ætate maturos, inter vivos mortuosque, inter hominem & brutas animantes, tanto discrimine posita, effringeretis? Dei hominumque odia, seculi vestri propudia, & scorpium! Sed desino de his *depudentia statuis* plura memorare, ne impuritates istæ, æterno potius

potius



potiùs silentio mactandæ, & solâ facinorum omnium postremitate indignissimâ notabiles, forsân orationem ipsam deforment.

Ad crudelitatis exempla pervenio, quàm imprimis *Magdeburgum*, metropolis quondam florentissima, totali cum ruinâ excidioq; suo pertulit. Quis verò satis ante oculos ponere potest, tam miserandam cladem incolarum istorum, lamentabiles infantium vagitus, puellarum fletus, matrum ejulatus, patrum fremitum, ad militis inexorabilem rigorem exclamantium:

*Stat cruor in templis, multaq; rubentia cade*

Lucan. l. 2.

*Lubrica saxa madent: nulli sua profuit etas.*

Parentes inter extremos liberorum amplexus trucidari, funestæ matres, objectu brachiorum, vim à liberis necquicquam prohibere, simul papillam infantes ori admovere, & filiolorum cruorem toto sinu haurire, pusiones mammillæ pariter adhærere, & per viscera lethale vulnus accipere; Tempa, ædes, compita, plateæq; compleri strage tantæ multitudinis, ut cadavera, instar viæ stratae, essent calcanda: Multos illorum cum ædificiis miserabile incendiû absumsit; multò plures, ceu indignos sepulturâ, in *Albim* præcipitavit crudelitas; qui fluvius ut oppressæ *Virgini* & alumnis ejus illatum ferale de-



decus, memorabili monumento vindicaret, præ reverentiâ innocentis cruoris, quasi novas sedes quærere visus est, & alveos suos, tot hominum sanguine purpuratos, recipiendis corporibus dedicavit.

Ultimum denique malorum, sed gravitate maximum, intentione primum, erant concinnatæ molitiones *Ligæ Papisticæ*, quæ huc unice ivit, ne quo in portu Evangelici anchoram bonæ spei figerent, sed eorum religio quæquaversum exterminii damnaretur, Theologi orthodoxi carnificinæ devoverentur, & sic omnis *Germania* libidinatum abiret ad *meretricem illam magnam*, quæ in fronte habet scriptum nomen: *Mysterium iniquitatis*.

Hæc ergo tanta piacula, tam ingentes reatus, *divinam Nemesein* permoverunt, ut post longam patientiam tandem iræ suæ fulmina stringeret in *Gigantes* istos, quorum altus spiritus, spesque pessima, mobilis horæ momento exspiraret, ac nil nisi ignominia cum pavore & fugâ illis relinqueretur: Nostros autem *Heroes* amplissima gloria cum triumpho maneret.

Comp. pac.  
c. 3. quæst.  
17. parag. 13

Ite jam, *Dillingenses Leguleji*, & vestrum dicitur accommodate, quo jactitare solebatis: *Quotiescunque Catholici cum Evangelicis prælio certarunt, victores illos fuisse, nunquam victos!* Sola hæc pugna, infeliciter à vobis commissa, plus  
uno



uno momento attulit confusionis rebus vestris, quàm Evangelicis nocuerunt plura inauspicata praelia,

— — — *Nulla est victoria major,*  
*Quàm quæ confessos animo quoque subjugat hostes.*

Claud. in 6,  
Consul.  
Honorii.

Et cui persuadebitis, vestros semper superiores fuisse, quotiescunque acie dimicatum est, nisi iis, quibus bella in Belgio gesta prorsus sunt incognita, hoc est, quibus non liquet, Solem meridie lucere. Ausim etiam dicere, fortè nunquam per hunc belli Germanici tractum Vos aperto Marte nobiscū esse congressos, nisi prius *cauponatos bellum*, majore cum probro vincendum, quàm victorum, si *Pyrrhi, Regis Epirotarū*, standum esset iudicio. Quot enim viscatis donis delinivistis, ut arcana nostra proderent? Quoties nostris auctoratos exuendam ad fidem corrupistis, ut in conjurata membra exitium molirentur? Nunquam verò armis victores vos hæc luminaria coeli conspexerunt, quin simul vitiis victos agnoscerent.

Cic. l. 1. offic

*Evangelici* autem sic bellarunt, ut de præsentis eventu nihil subsidii proditiones, nihil etiam opis nundinationes istæ sibi tribuere queant, sed rem omnem demonstrent benè gestam, ingenuâ virtute, armisq; fortibus, quæ tunc verè pia sunt, si bellum est necessarium, & *nulla, nisi in armis, relinquatur spes*, ut *Pontius ad Samnites*

Liv. dec. 1.  
l. 9.



populares suos loquebatur. Hac bonitate causæ, velut pulcherrimo auspicio, optimè sperarunt de victoriâ, cuius nunc obtentæ gloriam uni DEO humili veneratione attribuunt.

Cognovistis, *Magnifice Rector, Auditores honoratissimi*, rem totam, ut gesta est, & quidem strictim ac quoad summa fastigia tantum expositam. Nam ordine cuncta recensere, & præsertim viros fortes, qui armato pectore hostile ferrum receperunt, ac mortem, ceu aditum melioris ævi, obierunt, commemorare velle, non oratoris, sed historici officium esset, quod integros menses fatigare, non horâ unâ expediri posset. Inde itaque argumentum suarum laudum cum *Ecclesiâ Evangelicâ*, nostra quoque *Universitas* decerpit, & in hoc templo tabulas memoriæ suspendit, insignitas tanto DEI beneficio, quod nullus curius recursus temporum obliterare debet. Verba votiva, si placet, auribus percipite:

*Paratum est cor meum, DEUS; Paratum est cor meum; Cantabo & psallam. Exurge gloria mea! Exurge psalterium & cithara! Exurgam diluculo: Confitebor tibi in populis, & psalmum tibi dicam in gentibus; Quoniam magnificata est usque ad cælos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua. Rete paraverant pedibus meis*

*Psal. 57. v. 8*

*v. 9.*

*v. 10.*

*v. 11.*

*v. 7.*



meis, & incurvaverant animam meam, foderant  
 ante me foveam, & inciderunt in eam; Dixit ini- Exod. 15. v. 9  
 micus: Persequar & comprehendam, dividam spo-  
 lia, implebitur anima mea: evaginabo gladium Ps. 57. v. 4  
 meum, interficiet eos manus mea: Misit DEUS  
 altissimus à cælo, & liberavit me à probro deglutire 1. Sam. 14.  
v. 6.  
 volentis me, Selah! Misit DEUS bonitatem 1. Maccab.  
3. v. 18.  
 suam, & veritatem suam. DOMINE, non est 2. Chron. 14.  
v. 11.  
 apud te ulla differentia, utrum per multos, an per  
 paucos auxilium prestes. DOMINE, DEUS no-  
 ster tu ee, non prævaleat contra te homo. Quis si- Exod. 15. 11  
 milis tui in fortibus DOMINE? quis similis tui,  
 magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis,  
 faciens mirabilia? DOMINUS quasi Vir bellator; Ps. 46. v. 2  
 DOMINUS est nomen ejus. DEUS noster re-  
 fugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ 3.  
 invenerunt nos nimis: Propterea non timebimus,  
 dum turbabitur terra, & transferentur montes in 4.  
 cor maris: Sonuerunt, & turbatae sunt aqua eo-  
 rum; conturbati sunt montes in fortitudine ejus; 5.  
 Fluminis impetus latificat civitatem DEI, sanctifi- 6.  
 cavit tabernaculum suum altissimus: DEUS in me-  
 dio ejus, non commovebitur; adjuvabit eam DEUS 7.  
 manè diluculo. Conturbatae sunt gentes, & incli- 8.  
 nata sunt regna; dedit vocem suam; mota est terra.  
 DOMINUS virtutum nobiscum, susceptor noster  
 DEUS Jacob.

Etenim



Pl. 84.  
 v. 2.  
 Pl. 47. v. ult.

Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem. Videbitur DEUS Deorum in Sion. Principes populorum congregati sunt cum DEO Abraham, quia valde exaltatus est apud clypeos terra. Exalta te super caelos DEUS! Et super omnem terram gloriam tuam. Contere dentes hostium in ore ipsorum, molares eorum confringe Domine! Ad nihilum redeant; sicut aqua diffuant; Intendant sagittas suas, Et fiant tanquam excisa spica; sicut cochlea, quae liquefit; sicut abortivus mulieris, qui non vidit solem: sicut spina, antequam in rhamnum crescant, subito turbine agantur!

Pl. 57. v. 6.  
 Pl. 58. v. 7.  
 v. 8.  
 v. 9.  
 v. 10.

v. 11.  
 v. 12.

Letabitur justus, cum viderit vindictam tuam; pedes suos lavabit in sanguine impii; Et dicent homines: Hic est fructus justo: utique est Deus, judicans terram!

Vobis autem, *Inclutissimi Heroes*, quibus haec dignatio accidit à DEO Exercituum, ut bella DOMINI geratis, qui vitam & sanguinem pro DEI gloria, pro Ecclesiae defensione, & Germanicâ libertate impendere non dubitatis, quid aliud acclamet Ecclesia, quid melius succinat Academia, quam si vota olim à DEI populo pronctis DOMINI dedicata, unicuique Vestrum accommodet:

Exau-



Exaudiat te DOMINUS in die tribulationis, prote- <sup>Ps. 120. v. 1. 2.</sup>  
 gat te nomen DEI Jacob! mittat tibi auxilium de  
 Sancto, & de Sion tueatur te! Tribuat tibi secundum <sup>3.</sup>  
 cor tuum, & omne consilium tuum confirmet; Im- <sup>5.</sup>  
 pleat DOMINUS omnes petitiones tuas; non det <sup>7.</sup>  
 in commotionem pedem tuum, neque dormitet, qui  
 custodit te. Ecce! non dormitabit, neque dormiet, <sup>Ps. 121. v. 3.</sup>  
 qui custodit Israel. DOMINUS custodit te, <sup>& seqq.</sup>  
 DOMINUS protectio tua super manum dexteram  
 tuam: DOMINUS custodiat te ab omni malo,  
 custodiat animam tuam DOMINUS! DOMI-  
 NUS custodiat introitum tuum, & exitum  
 tuum, ex hoc nunc & usque in  
 seculum.







**R**ationem hanc panegyricam at-  
tentissimè legi : & Authori  
communi omnium nomine ,  
ingentes gratias animitus egi :  
Deum precatus , ut porro Electoratu  
Saxonico toti clementer benedicere ,  
eumq; sub alis suæ gratiæ ac misericordiæ  
protegere : è contra hostes Evangelii, vel  
convertere , vel , si conversionem re-  
spuant, funditus perdere velit : Per &  
propter Dominum nostrum **JESUM**  
**CHRISTUM**, laudatum in secula se-  
culorum, **AMEN**.

*scrib. Dresdæ d. 11. Jan. Ann. 1632.*

D. Hoe.

In



*In Orationem Panegyricam*

Admodum Reverendi, & Excellentissimi  
Dn. Auctoris.

**I** Nvictas acies, duoq; ignea fulmina belli,  
Gustavum Regem, Saxoniaq; Patrem.  
Frendentemq; Ligam, Romaq; minacia castra,  
Et Dominatoris maxima facta DEI,  
Quamq; adeo patriâ cum libertate salutem,  
Inde Evangelica percipit ordo rei,  
Os Academiae memori sermone recenset  
Höpffnerus, Svade nomen honosq; sacra.  
Posteritas admitte virum; venerare laborem!  
His illum numeris edidit ipsa Fides:  
Ite sequuturum cum codice gesta per ævum:  
Æternum genium tale meretur opus.

*Observantia testandæ  
facieb.*

M. CHRISTOPHORUS BULÆUS,  
SS. Theol. Studiosus & Poeticæ  
Prof. publ.

F I N I S.



In Oratione Paganica

Admodum Reverendi, & Excellentissimi

Dr. Actoris

I. Auctoris scilicet, huiusmodi fabulae  
Gustavo Revere, Duxi, & Præfati  
Friedrich, Euge, Romæ, in die  
Et Dominet omni maxima facta D. N. I.  
Quam, admodum, in omni libertate  
Iste, etiam, et participi, et  
O. etiam, in omni, et  
Höflichkeit, und, et  
Posterius, admodum, et  
Höflichkeit, und, et  
Actum, etiam, et

Optimè, etiam, et

M. CHRISTOPHORUS  
R. S. Thol. etiam, et  
Propriet.

F. I. M. I. S.





IA  
WA  
G  
H  
P  
I  
M  
A





QX 7C 4094

QX

7C





**ULB Halle**

3

004 806 956









36,21.

Vc  
4094

EVA

DRUM,

Ad

ORIAE,

GL

Sveciae,

Seren

I Saxoniae,

Post acv

n Confinitio L 1-

s salute

e,

xxl.

NSI,

HEINR

SS. Theol. Doct.

Pi

biam Götzius.

II.

